



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum audacia sit peccatum? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Virum audacia sit peccatum?

640

*lib. 31. c.
18. circa
fin.*

AD primum sic proceditur. Viderur, quòd audacia non sit peccatum. Dicitur enim Iob 39. de equo, per quem designatur bonus prædicator, secundum Gregor. in Moral. * quòd audacter in occursum pergit armatis. Sed nullum virum cedit in commendationem alicuius. Ergo esse audacem non est peccatum.

*li. 6. c. 9.
som. 5.*

¶ 2 Præterea, Sicut Philosophus dicit * in 6. ethic. oportet consiliari quidem tardè, operari autem velociter consiliata. Sed ad hanc velocitatem operandi iuvat audacia. Ergo audacia non est peccatum, sed magis aliquid laudabile.

*1. 2. q. 45
ar. 2.*

¶ 3 Præterea, Audacia est quædam passio quæ causatur à spe, vt supra habitum est *, cum de passionibus ageretur. Sed spes non ponitur peccatum, sed magis virtus. Ergo nec audacia debet poni peccatum.

Sed contra est, quòd dicitur Eccles. 8. Cum audace non eas in via, ne fortè grauet mala sua in te. Nullius autem societas est declinanda, nisi propter peccatum. Ergo audacia est peccatum.

RESPONDEO dicendum, quòd audacia sicut supra dictum est *, est quædam passio. Passio autem, quandoque quidem moderata est secundum rationem, quandoque autem caret moderatione, vel per excessum, vel per defectum: & secundum hoc est passio vitiosa. Sumuntur autem quandoque nomina passionum à superabundantia. Sicut ira dicitur non quæcumque, sed superabundans, prout scilicet est vitiosa. Et hoc etiam modo audacia per superabundantiam dicitur, esse peccatum.

*q. 123. a.
3. ar. 2.
q. 23. a. 1
ar. 3. ar.
q. 45.*

ponitur primum ergo dicendum, quòd audacia ibi sumitur secundum quòd est moderata ratione. Sic enim pertinet ad virtutem fortitudinis.

*li. 7. c.
som. 5.*

Ad secundum dicendum, quòd operatio festina commendabilis est post consilium, quod est actus ratio-
nis, sed si quis ante consilium vellet festinè agere, non

non esset hoc laudabile, sed vitiosum. Esset enim quædam præcipitatio actionis: quod est vitium prudentiæ oppositum, ut supra dictum est *. Et ideo audacia quæ operatur ad velocitatem operandi, in tantum laudabilis est, in quantum a ratione ordinatur. 9.53. a.3

Ad tertium dicendum, quod quædam vitia innominata sunt, & similiter quædam virtutes, ut patet per Philosophum * in 4. Ethicor. Et ideo oportuit in quibusdam passionibus uti nomine virtutum & vitiorum. Præcipue autem illis passionibus utimur ad vitia designanda, quarum obiectum est malum: sicut patet de odio, timore, & ira, & audacia. Spes autem & amor habent bonum pro obiecto: & ideo magis eis utimur ad designanda nomina virtutum. li. 4. c. 4.
6. & 7.
10. 1. li. 2.
c. 7. à me.

ARTIC. II.

Utrum audacia opponatur fortitudini?

648

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod audacia non opponatur fortitudini. Superfluitas enim audaciæ videtur ex animi præsumptione procedere. Sed præsumptio pertinet ad superbiam, quæ opponitur humilitati. Ergo audacia magis opponitur humilitati quam fortitudini.

¶ 2. Præterea, Audacia non videtur esse vituperabilis, nisi in quantum ex ea provenit vel nocumentum aliquod ipsi audaci, qui se periculis inordinatè ingerit; vel etiam alijs, quos per audaciam aggreditur, vel in pericula præcipitat. Sed hoc videtur ad iniustitiam pertinere. Ergo audacia secundum quod est peccatū, non opponitur fortitudini, sed iustitiæ.

¶ 3. Præterea, Fortitudo est circa timores & audacias, ut dictum est *. Sed quia timiditas opponitur fortitudini secundum excessum timoris, habet aliud vitium oppositum timiditati secundum defectum timoris. Si ergo audacia opponatur fortitudini propter excessum audaciæ, pari ratione opponetur ei aliquod vitium propter audaciæ defectum. Sed hoc non inuenitur. Ergo nec audacia debet poni vitium oppositum fortitudini. q. 123.

SED